

ORDO RECONCILIANDI

COEMETERIUM VIOLATUM, SIVE ECCLESIAE CONTIGUUM SIT, SIVE SEPARATUM, UBI ECCLESIA NON EST POLLUTA.

TITULUS CUADRAGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Polluta Ecclesia Coemeterium venit pollutum.
- 2 Non vero e contra.
- 3 Contiguum quid significet?
- 4 Porta non facit Coemeterium Ecclesiae contiguum.
- 5 Coemeterium de per se pollui potest.
- 6 Coemeteria loca comoda pro delictis, quia solitaria.
- 7 Reconciliatio fit in mane.
- 8 Facultas est impetranda pro Benedictione Coemeterii.
- 9 Benedictio, seu Reconciliatio de jure spectat ad Episcopum.
- 10 Facultas debet committi Presbyt. in dignitate constituto.
- 11 Ministri, ac Paramenta sunt eadem ac in Benedictione.
- 12 Coler niger an adhibendus pro hac reconciliacione?
- 13 Reconciliatio cadit sub Ritu dedicationis.
- 14 Tapetum pro genuflectendo parari debet.
- 15 Aspergillo ex Hyssopo utendum est.
- 16 Fere omnia adhibentur hic, quae in Roconciliacione Ecclesiae violatae.

1 2 Venit de consequenti, ut polluta Ecclesia, pollutum quoque remaneat Coemeterium; si adsit contiguum immediate, ut diximus in *Ritu reconciliandi Ecclesiam*. Sed e contra ita non est, si solum polluat Coemeterium; nam ipsum solum pollutum manet, si delictum, et actio pollutiva patrata sit in Coemeterio, Ecclesia ut prius sanctificata, et illibata remanente.

3 4 Itaque, sive hoc Coemeterium sit contiguum, et immediatum per ejus extrema, alicui Ecclesiae (contigua enim sunt illa, quorum extrema sunt simul, ut cum Aristotele observat Sanctus Augustinus, *lib. Cathgor. cap. 10.*) sive sit separatum, semper polluitur de per se, si in illius ambitu tantum

fiat sanguinis, aut seminis injuriosa effusio, vel aliquid aliud perpetretur, quod sit loci Sacri pollutivum, prout alibi enumeravimus. Nec Aditus, seu Porta facit Ecclesiae contiguum Coemeterium, adeo ut Pollutio de minori transiat ad majus; sicuti neque quando Coemeteria circumdata sint propriis parietibus per totas suas partes, quamvis aditus, et ingressus ad ea ipsa pateat per Ecclesiam, dici non possunt Ecclesiae contigua, quia extrema illorum se non jungunt, atque ideo de Ecclesia non transit Pollutio ad Coemeterium, seu de majori ad minus, ut aperte colligitur *ex Gloss. in figurat. casu ad praed. cap. unic. et apertissime traditur a Jordan. Var. Elocubr. t. 1. l. 5. tit. 12. n. 93. Passerint. dict. disp. 2. c. 47. n. 4. et 5.*

5 6 Casus igitur praesentis Tituli est, si Coemeterium talem labem per se susceperit, ut mundari indigeat, ad hoc ut denuo locus sacer fiat, et aptus ad recipienda fidelium Cadavera. Dari enim potest, et quidem facillime, ut delictum aliquod patretur in istis locis, quae solitaria ut plurimum, et remota esse solent, atque apta ad scandala multa fovenda, absque Ecclesiae matricis damno, non tantum si distent, ab ea, sed etiam si contigua sint, et connexa.

Ecclesia itaque Catholica hoc in votis habuit, ut formam praescriberet benedicendi, seu reconciliandi Coemeteria, quando per se polluta, et violata sint: quomodo cumque enim se habeant, semper pollutionis capacia sunt: Ex Bonif. VIII. *in cap. unic. de consecr. Eccl. 6.* et aliis a Passerint. *allegat. disp. 2. c. 46. n. 4.* contra nonnullos, contrarium, sed nulla ratione sentientes. Cum enim Coemeterium sit membrum Ecclesiae Lavor, *d. t. 2. c. 7. n. 39.* licet non principale, deforme est, ut laesum maneat in reliquo corpore sano.

§. I. Mane diei, qua facienda est Reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, et Clericis, indutis superpelliceis, in Sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, accedit ad medium Coemeterii, Clerico vasculum Aquae benedictae et Aspergillum deferente, et ibi super Tapete genuflectit una cum Ministris: et Cantores, alique genibus flexis, dicunt Litanias, in quibus cum dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te Rogamus, etc.* Sacerdos surgit, et manu dextra producens signum Crucis super Coemeterium, clara voce dicit: *Ut hoc Coemeterium reconciliare, † etc.*

7 In mane fit Reconciliatio Coemeterii ea sane ratione, quia post illam peractam, congruum videtur, ut Sacrificium celebretur sive in Capella Coemeterii, si adsit, sive in Ecclesia cui Coemeterium inservit, ut jam in Titulo de *Benedictione*, seu *Reconciliatione Ecclesiae* dictum est.

8 9 10 Eo pacto quo pro reconcilianda Ecclesia requiritur delegatio Sacerdotis facta ab Episcopo, ita et in reconciliando Coemeterio opus est, ut haec facultas obtineatur in scriptis, et registretur in Archivio, et Cancellaria Episcopali, atque Ecclesiae ad perpetuam memoriam per allegata a Monacell. T. 2. in *Benedictione*, et *Reconciliatione Ecclesiae*. Ratio hujus facultatis delegandae est, quia haec Benedictio, seu Reconciliatio, de jure spectat ad Episcopum: quo in casu Regula est, ut committatur haec facultas Presbytero in dignitate constituto, S. C. R. 9. Febr. 1608. Gavant. *Manual*.

11 Ministri, qui in peragenda hac Reconciliatione adhibentur, idem sunt qui in Benedictione Ecclesiae usuveniunt, cum ratio sit eadem. Item Paramenta, et colores non mutantur, ex quo idem cultus est, atque intentio.

12 Quaestio olim fuit inter nonnullos, qui in Reconciliatione, et Benedictione Coemeterii autumabant congruentius esse, adhibere colorem nigrum, seu saltem violaceum, ob locum reconciliandum, qui proprie defunctis Sacer fit. Ratio enim in promptu erat, quia in Benedictione Sepulchri praescripta a Rituali, de qua loquuti sumus in *Titulo de Exequiis, seu de Exequiarum Ordine*, §. 14. Sacerdos utitur Pluviali, et Stola nigri coloris. Sed responsum fuit, distinguendam esse unam Benedictionem ab alia ex diversa ratione, occasione, et tempore. In Exequiis cuncta nigro colore induuntur, et Benedictio Sepulchri cadit sub Ritu, et Ordine Exequiarum.

13 In Dedicatione vero cuncta alba debere esse; nam Reconciliatio cadit sub Ritu Dedicationis, ut late patet ex eodem loco ejusdem Tituli.

14 Hic inter supellectiles apponendas enumeratur Tapedum ad genuflectendum, de quo cum Castald. mentionem fecimus in antecedenti Titulo, §. 3.

§. II. Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos, accepto aspergillo cum Aqua benedicta, inchoat Antiphonam, *Asperges, etc.* Clero prosequente, et mundabor. Psalmus *Miserere, etc.* dicitur totus sine *Gloria, etc.* In fine repetitur Antiphona, *Asperges, etc.*

15 Idem Ritus est ac in Reconciliatione Ecclesiae alias a nobis exposita: neque hic mentio fit de Aspergillo ex herba hyssopo, sed videtur quod magis doceat, quam ex alia materia, ad hoc ut adsit uniformitas cum Benedictione, seu Reconciliatione Ecclesiae.

Reficitur *Gloria, etc.* et haec est unica imago moeroris, quae appareat in loco Defunctorum, sed neque per hoc dicitur, *Requiem, etc.* qui versiculus in Ritu dedicationis non bene sonaret.

§. III. Dum haec dicuntur, Sacerdos circuit totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta, praesertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniae dictae fuerunt, et ibi stans dicit: *Oremus. Et ministri: Flectamus genua, etc. R. Levate.*

16 Circulus, aspersio, et inspectio loci praecipue violati eadem sunt, super quibus alias animadversiones nostras in *Titulo de Reconciliatione Ecclesiae violatae*. Atque ideo de his nil amplius, etc. *

* *Nova hoc etiam in loco accessio facta est Rituali Romano, quod Benedicti XIV. jussu editum est. Additus enim est Ritus absolvendi, et benedicendi Populos, et Agros ex Apostolicae Sedis indulto: necnon Methodus Indictionis praemittendae Pontificiae Benedictioni statis diebus super Populum elargiendae; Ritusque in ea servandus a Regularibus, quibus a S. Sede hujusmodi facultas indulta est, vel indulgebatur; prout praecipitur in Epistola Encyclica Benedicti PP. XIV. ad PP. Generales Ordinum Reg. Dat Romae die 19. Martii 1748. Haec nobis indicasse sufficit si quis enim legere cupiat, adeat idem Rituale a Benedicto XIV. editum, atque auctum; quod nuper etiam ex Remondiniano Typhographio prodit. Illud praeterea Lectores nostros admonitos volumus, SS. D. N. Clementem XIII. feliciter regnantem nuper, nempe tertio Nonas Septembris 1762. Encyclicas litteras Romanis typis vulgasse, quibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, necnon aliquibus*

inferioribus Praelatis, benedicendi Populo nomine Sanctitatis suae facultatem postulantibus, concedendam esse statuitur; Ritusque servandus praescribitur.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domine. R. Qui fecit coelum et terram.

V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, danobis auxilium de Sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde; qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam: Per Christum R. Amen.

Deinde versus ad cornu Epistolae dicat:

Benedicat vos Omnipotens Deus †: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. R. Amen.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX TOMI SECUNDI.

TITULORUM, SERVATO ORDINE

RITUALIS ROMANI.

| | |
|--|-----|
| Titulus I. De Sacramento Extremae Unctionis..... | 5 |
| Tit. II. Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis | 29 |
| Tit. III. Septem Psalmi Poenitentiales, cum Litanis. | 45 |
| Tit. IV. De Visitatione, et cura Infirmorum..... | 49 |
| Tit. V. Modus juvandi morientes | 63 |
| Tit. VI. Ordo commendationis Animae..... | 76 |
| Tit. VII. In expiratione..... | 86 |
| Tit. VIII. De Exequiis..... | 96 |
| Tit. IX. Quibus non licet dari Ecclesiasticam sepulturam | 126 |
| Tit. X. Exequiarum Ordo.—Summarium Primum... | 140 |
| Tit. X. Exequiarum Ordo.—Summarium Secundum... | 155 |
| Tit. XI. Officium Defunctorum..... | 179 |
| Tit. XII. De Officio faciendo in Exequiis, absente corpore Defuncti, et in Die Tertio, Septimo, Trigesimo, Anniversario..... | 186 |
| Tit. XIII. De Exequiis Parvulorum..... | 189 |
| Tit. XIV. Ordo sepeliendi Parvulos..... | 191 |
| Tit. XV. De Sacramento Matrimonii.—Summarium Primum | 194 |
| Tit. XV. De Sacramento Matrimonii.— Summarium Secundum..... | 212 |
| Tit. XVI. Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum. | 233 |
| Tit. XVII. De Benedictione Mulieris post Partum... | 246 |
| Tit. XVIII. De Benedictionibus Regulae generales... | 252 |
| Tit. XIX. Ordo ad faciendam Aquam benedictam... | 261 |
| Tit. XX. Benedictio Candelarum extra diem Purificationis B. M. V..... | 270 |
| Tit. XXI. Benedictio Domorum in Sabbato Sancto Paschae..... | 272 |
| Tit. XXII. Alia Benedictio Domorum alio tempore facienda..... | 276 |